Morbio 27 (15)

URBANUS Episcopus servus servorum dei Dilecto filio Hieronimo Fornacuallo perpetuo Capellano in sclari et Collegiata ecclesia sancti Georgii Papien.

Salutem et apostolicam benedictionem. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio nos inducunt ut illa tibi favorabiliter concedamus que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque sicut accepimus Nos tibi asserenti te ex Civitate vel dioc. Papien. oriundum existere ac unam sub sancte Anne in sclari et Collegiata sancti Georgii et alteram perpetuas sine cura Capellanias sub sanctorum Hieronimi et Catherine invocationibus vel ad altaria in sancte Marie ad Perticas nuncupate etiam Papien. ac perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum Clericatum etiam nuncupatum in sancti Zenonis loci Frescaroli dicte dioc. parochialibus seu aliis ecclesiis quorum insimul seu cuiuslibet fructus redditus et proventus Vigintiquatuor ducatorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedunt et que omnia personalem residentiam non requirunt obtinere ut commodius sustentari valeas de alicuius subventionis auxilio providere ac premissorum meritorum tuorum intuitu specialem gratiam facere volentes Teque a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum presentium duntaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes Tibi pensionem annuam ab omni et quocunque tam ordinario quam extraordinario onere liberam immunem et exemptam Triginta scutorum auri in auro stamparum super Archipresbiteratus sclaris quoque et Collegiate que etiam parochialis existit ecclesie sancti Georgii Terre Arene dicte dioc. qui inibi dignitas principalis existit et quem dilectus filius Jacobus Brusonus ipsius posterioris ecclesie Archipresbiter ex provisione apostolica sibi auctoritate facta ad presens ut pariter asseris obtinet fructibus redditibus proventibus Juribus obventionibus et emolumentis universis etiam incertis ad ducentos et quadraginta ducatos similes annuatim ascendentibus super quibus due pensiones annue antique insimul summam Quinquaginta scutorum parium constituentes non tamen excedentes certis personis ecclesiasticis pretacta auctoritate reservate reperiuntur ut similiter asseris Tibi quoad vixeris vel procuratori tuo ad hoc a te speciale mandatum habenti per dictum Jacobum cuius ad hoc expressus accedit assensus et successores suos Archipresbiteratum predictum pro tempore quomodolibet obtinentes Annis singulis pro una videlicet in Novembris a proxime venturis incipiendo et altera medietatibus pensionis per presentes reservande huiusmodi in Maii mensium Kal. Rome vigore tamen presentium nec alias aliquam pensionis reservatio nulla sit eo ipso Et dummodo super dictis Archipresbiteratus fructibus redditibus et proventibus pro te aliqua alia pensio ultra superius expressas reservata non sit nec etiam sub data earundem presentium reservetur integre persolvendam dicta auctoritate ipsarum tenore presentium reservamus constituimus et assignamus Decernentes Jacobum et successores predictos ad integram solutionem dicte pensionis tibi faciendam iuxta illius reservationis constitutionis et assignationis predictarum tenorem fore efficaciter obligatos Ac volentes et eadem auctoritate statuentes quod ille ex Jacobo et successoribus predictis qui in dictis Kal. vel saltem infra Triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem per presentes reservatam predictam pro rata tibi tunc debitam non persolverit cum effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat a qua donec tibi vel eidem procuratori de pensione per presentes reservata huiusmodi tunc debita integre satisfactum aut alias tecum vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit preterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium nequeat obtinere Si vero per sex menses dictos Triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo quod absit sustinuerit indurato extunc effluxis mensibus eisdem dicto Archipresbiteratu perpetuo privatus existat illeque vacare censeatur eo ipso Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis ac ultimo dicte ecclesie Iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque Aut si Jacobo et successoribus predictis vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab apostolica sit sede indultum quod ad prestationem vel solutionem pensionis alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de Indulto huiusmodi mentionem Et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis Volumus autem quod si dictus Jacobus in eius vita [illegible] dictum Archipresbiteratum obtinuerit pensionem per presentes reservatam predictam tibi realiter et cum effectu non persolverit presens reservatio nulla sit eo ipso. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis reservationis constitutionis assignationis decreti voluntatis et statuti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. in arce Gandulfi dioc. Albanen. Anno Incarnationis dominice Millesimo sexcentesimo trigesimo sexto [illegible] Kal. Octobr. Pontificatus nostri Anno Decimo [illegible]

A. Theobaldus R. Magnus

M. V. Ursinus

A. de Altemps Comps.

[illegible]

1632 Oct. 1

Anno Incarn. Dnice MDCXXXII die XXX Octobr. R. D. Jacobus per Barthm Ostina procurator suum Alle q. prout hac expedi considit Cur.

Pro Lud. ant. Marchionis Desiderius Gallor

Cur.

Anto. ...

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Morbio 27 (15)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871281458-10/fragment/page=0002
DFG